

Comparatio carmini Heine “Ein Fichtenbaum steht einsam...” (“In Borea abies solus...”) et Lermontovi “На севере диком стоит одиноко” (“In Borea vasta pinus deserta”)

Anno 1841 Lermontov scripsit id carmen:

На севере диком стоит одиноко
На голой вершине сосна
И дремлет качаясь, и снегом сыпучим
Одета как ризой она.

In Borea vasta pinus deserta
In nudo cacumine sita,
Et nutans dormitat, et nive laxata
Vt nitido peplo vestita.

И снится ей всё, что в пустыне далекой —
В том крае, где солнца восход,
Одна и грустна на утёсе горячем
Прекрасная пальма растёт.

Et somniat ea in longis arenis,
Qua oriens ardet a sole,
Increscere unam maestam perpulchram
Palmam ardenti in colle.

Hoc est liberum redditum sequentis carminis Heine:

*Ein Fichtenbaum steht einsam
Im Norden auf kahler Höh.
Ihn schläfert; mit weißer Decke
Umhüllen ihn Eis und Schnee.*

In Borea abies solus
In monte stat infelice.
Eum sopitum gelu et nix
Obvolvunt albo lodice.

*Er träumt von einer Palme
Die, fern im Morgenland,
Einsam und schweigend trauert
Auf brennender Felsenwand.*

Consomniat palmam quae longe
In oriente stat muta,
Et ibi deserta tristatur
Ardenti in saxa acuta.

Primo aspectu hae carmina vicina sunt, si tamen attentius legantur, conspici potest argumenta eorum diversa esse. Quidnam est carmen Lermontovi – redditum Heine aut opus proprium, atque quae distinctiones sunt inter duos versus? Consideremus utrumque carmen uberius.

Quando Heine scripsit suum carmen? Henricus Heine adulescens arbitrato familiae debuit discere rem mercatoriam, quo proposito Hamburgum venit, et domi propinqui sui Solomonis, qui opulentissimus argentariorum Hamburgorum fuit, constitit. Henricus, nulla virtute inventa rei mercatoriae, permissu Solomonis se ad iurisprudentiam transfert. Sed Henricum modo litterae capiunt, is incipit facere versus. Utens domo propinqui Henricus eius filiam Amaliam adamavit. Studium versuum familia honorati argentarii improbat, nam tam leve studium non potest, quin famam bonam viri in negotiali collegia locupletum offenderet. Amalia fortasse auctoritatem familiae suae secuta poetae recenti se negat. Henricus fuit solus et non aestimatus ab eis, qui circum erant.... Eclogarium " Lyrisches Intermezzo ", quod scriptum anno 1822-1823, est imago musaea rei amatoriae poetae, ab origine usque ad casus.

In carmine Heine conspiciamus abietem generis masculini esse. Poeta volens sciensque hanc arborem genere masculino paesentavit (Germanice “abies” aequae

ac Latine genere feminino est) et eo carmini fabulam amatoriam subesse patet. Uterquem personam vidimus, quae necessitudinem atque amorem habet. In carmine Lermontovi pinus genere feminino est, igitur de amore amborum arborum nullo modo dici potest.

Etiam in reddito Lermontovi materia vis, concatenationis, inexpugnabili impedimenti delabitur. Abies Heine glacie ac nive vinctus est, quae somnium immitunt, id est vis quaedam extera, forsitan hostilis, eum afficit. Lermontovi vero pinus non impulsu extero sed per se dormit, quae nullo modo glacie vincta, sed modo nive laxata vestita immo ornata. Gelu horridum et tardum in reddito Lermontovi vanescit. Lodix alba, quae Heine nivi adaequatur, Lermontov peplo mutat (in archetypo Russico Lermontovi "peplum" (cataclista vestis) est "пиза" - praetiosa, ornata auro, fere regalis vestis). Lermontov in carmen pulchritudinem, romanticam altitudinem et harmoniam attulit. Notandum est lodicem res quaedam exteram, occultantem et impedimentem esse, pepulum autem vestem veluti propriam pini esse. Pinus Lermontovi etiam non plane dormitat, at "dormitat nutans", quasi infans a matre soporata.

Plus valet in carminibus oppositus septentrionis et meridiei (ad verbum in carminibus de terra orientali narratur, sed quod ad clima adtinet hoc sine dubio merities est). Heine tali modo spatium inter personas exaggerat, nam spatium est impedimentum, quod a personis non potest vinci. Septentrio vero Lermontovi est subsistentia, at merities est votum, optatum, et in eo carmine una parte mundus evidens, altera parte imaginatus atque infectus representantur.

Itaque carmen Heine de amore tragico, in via cuius quaedam impedimenta sunt. Uterque persona devia est et patitur. Carmen autem Lermontovi de solitudine. Sola pinus per somnia quodam specimen, alteram consonam animam imaginatur.

"In carmine Heine aegritudo amoris, in carmine autem Lermontovi desertissima solitudo videtur, quae per totam vitam poetae transit. Lermontov non modo in spatio solus manet, cum nullus propter visus est, sed etiam in tempore. Primo dimidio XIX saeculi multis poetis romantici sensus erant, quando cum tempore praesenti in quo res adversae sunt aut praeteritum (prius res omnes meliores erat, quorum homo meminit, quas desiderat et quae sunt solacium) aut futurum confligitur (ita vero, nunc iterum res malae sunt, sed in futuris speremus omnia ad melius mutatum iri). Lermontov ne id quidem habet. " - dixit professor M. M. Dunaev.

Carmen Heine Lermontovum delinivit, id affectioni animi eius admodulatur, impulsu plasmationis dedit, et propriae affectiones in ipso negotio in scaenam prodierunt. In suo carmine Lermontov magis se ipsum consignavit.